



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titvlvs XVIII. De Servis non Ordinandis, & eorum Manumissione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



TITVLVS XVIII.

De Servis non ordinandis, & eorum Manumissione.

S U M M A R I U M .

1. *Servi SS. Ordinum sunt incapaces.*
2. *Ordinati, Dominō scienti, manu-
missi censentur.*
3. *Illō invitō, si minoribus, revo-
cantur:*
4. *Si majoribus initientur, domino
compensantur,*
5. *Aut spiritualia ministeria exhibere
debent:*
6. *Si sint servi, non abusivē,*
7. *Sed propriū dicti, sive mancipia,*
8. *Vel adscriptiū, aut originarii.*
9. *Iidem etiam a Gradibus Academicis
arcentur.*
10. *Cum Servis ad Ordines vix unquam
dispensatur.*

Apterum Ordinationis impedimentum est defectus Libertatis, sive conditio servilis: in qua constituti, sine consensu dominorum eos manumittentium, ordinari prohibentur, *can. 81. Apofol. can. fin. V. Qui servili dist. 51. can. 1. can. Nulli 2. Sc. dist. 54. c. 1. c. De servorum 2. bīc, cum; ne ejus humilitate clericalis Ordinis & Ministerii dignitas obfuscatur, can. Generalis 9. & can. admittitur 15. dist. 54. tum verò; ne ipse servus, vel cum injuria à domini servi-*

tio extrahatur, vel in illius potestate relictus à Divino ministerio impediatur, *can. 1. & can. Generali cit. Gonzalez in c. De servorum cit. n. 9.*

Neque servis hac in re efficax patrocinium præstat rescriptum Innocentii III. præbenda Ecclesiae Argentinensis, ob collatorum inferiorum negligentiam ad Sedem Apostolicam devoluta, & à Legato à Latere clero facta collationi oppositam consuetudinis, homines tantum liberos in Ecclesia institui exposcentis, exceptionem non admittentis, *c. Venerabilis 37. de Prebend. & dignit. argumento non obcurō, servilis quoque conditionis homines Ordinum & beneficiorum Ecclesiasticorum esse capaces; patrocinium enim hoc leve est, partim; quia c. cit. liberi hominis nomine ex Teutonicorum usu venit, qui immideatè ipsi Imperio & Imperatori Romano, & non alicui illius Principi vel statui est subiectus: non is, qui non est servus, ut in c. cit. Glossa V. Liberum & Panormit. n. 6. adnotarunt: partim verò; quia Innocentius Papa c. cit. Ecclesiae Argentinensis consuetudinem non damnat propterea; quod ejus vigore ad canoniciatus & præbendas homines tantum liberi admittantur; cum talis consuetudo sanctiionibus Canonis paulò antè allegatis & servos ab Ordinibus ac beneficiis removen-*

Y y y removen-

remōventibus, apertè sit conformis: sed; quòd ex ea ad Ecclesiam memoratam soli nobiles & ex utroque parente illustres clerici admittantur, & in admissione generis potius, quām virtutum nobilitas vitæque honestas attendatur, ut ex e. cit. Apostolica decisione liquet, & in e. De servorum cit. cum Interpp. aliis observat Gonzalez n. 13.

2. Contingere autem variis modis potest, ut servus ordinetur: & imprimitur, quidem, domino consentiente, expresse vel saltē tacitē, si eum ordinari sciat & non contradicat: quòd etiam posteriore modō Ordinibus minoribus, imo primā solum confusa initiatus, eo ipso evadit liber, can. Si servus 14. dīs. 54. cit. Glossa in e. De servorum cit. V. Deponatur ubi Panormit. n. 1. & Barbosa n. 3. quia ex dispositione sive interpretatione Juris habetur pro absolútè manumisso, can. Si servus cit. neque id immoritò; cùm etiam apud Romanos servo libertas tacitē data censeretur, si dominus sciens prudēnsque & non contradicens eum admitti sciebat ad actum, qui liberis tantum hominibus Jure competebat: veluti, si servus domino non ignorante & intra trigesita dies, cùm posset, non reclamante dignitatē acciperet, aut in prophana militiæ numeros referretur, l. Super servis 6. V. Si vero dīs. 1. Si quis servum 7. V. Sciant C. Qui militare poss. Gonzalez in e. cit. n. 7. Quare servus, sciente & non contradicente domino ordinatus, tanquam persona Divinis obsequiis etiam domini voluntate dicata, ad pristinam conditionem nequit revocari, arg. Reg. Quid semel si. in 6. Suarez de Censur. dīs. 51. f. 3. n. 5.

3. Deinde, domino ignorantē, aut sciente quidem, sed contradicente: à quo fugiens, si accepit Ordines solum mino-

res, manet servus & repente domino est restituendus, can. Frequens 7. dīs. cit. ubi Gelasius Papa servum, ab eo domino, in clericum ordinatum, dīs. quandam conditionis sua necessitatem, dīs. jubet: quod etiam e. De servorum cit. habetur.

Neque obstat Reg. Quid semel in cuius argumento, qui rem alienam consecravit, non ipsam, sed ejus pretium, sive estimationem, domino repente reddere tenetur, cau. Comperimus q. 6. Sed aliter res se habet cum servo; qui sic ordinatus commitit fraudem, qua ei non debet patrocinari. Ne et dīs. 12. ff. de Dolo Et. Sedes 15. de Regis. Contra verò in rem inanimatam nocte dolus aut delictum, quod plecti possit in can. cit. V. Eius Glossa observat. Ad cedit; quòd valde imperfetta sit contratio, qua sit per Ordines minores & his initiatus matrimonium contrahere, atque à divino ministerio ad vitam & negotia secularia transfire possit, ut Lib. 5. Tit. 9. n. 13. dicetur, cur non etiam à domino revocari? Suarez cit. n. 5. Quare allegata Regula ferè tantum in rebus inanimatis procedit, ut cum Glossa in can. Episcopus 28. V. Alacri. q. 1. notat cit. Barbosa n. 1. vel foliando in rebus pleno jure Deo dictis, ab eoque acceptatis locum haber, ut vid Engel ad hanc Rubr. n. 4.

Si vero, domino contradicente vel ignorante, initiatus est majoribus, multum interest, an Episcopus aut alijs qui huic eum præsentarunt vel commendarunt, ejus malitia consciū fuerat vel non. Cùm eis malitia consciū ordinatus servus quidem evadat liber: Episcopus tamen aut, qui huic illum sciente præsentarunt, domino, cui servi ordinatione injuria illata est, in duplo, hoc est, vel ad duos servos æquibonos vel dīs.

vel duplicatum illius pretium exhibendum teneantur, can. Si servus 13. disf. 54. cit. Glossa V. Deponatur, Panorm. n. 1. & Suarez n. 13. Si Episcopus, & alii eius conditionem ignorarunt, servus in Sub- vel Diaconum ordinatus, vel a lium servum aequalem aut sui estimacionem de peculio, cuius usum habet, domino exhibere: vel, si neutrum praestare valeat, domino restitui ipse debet, can. Ex antiquis 9. in fine disf. juncta Glossa in can. Si servus 20. disf. cit. V. Ulinus: nisi tamen dominus ejus reperiotionem, postquam ordinatum esse scivit, ultra annum differret; hoc enim casu ex interpretatione vel dispositione Juris manumissus & plenâ libertate donatus conferetur, can. Si servus cit. Innocent. in c. De servorum cit. n. 6. & Suarez l. cit.

5. Demum, si servus ad Ordinem presbyteratus ita promotus esset, in servitutem quidem revocari non posset, sed tamen amitteret peculium, reddendum domino, aut, illo deficiente, huic exigenti in spiritualibus officiis servire teneretur, can. Frequens in fine § can. Antiquis cit. Quod ita statuendi ratio fuit, ut conservaretur honor Ordinis Sacerdotalis, & dominus, exhibito sibi altiori & utiliori ministerio, a quis ferret injuriam & jacluram servitii temporalis: et si id non fiat per modum compensationis, aut commutacionis; cum res spiritualis propter suam excellentiam in computationem cum temporali venire, aut in istius compensationem dari non possit, Suarez cit. n. 13. in fine & Laiman Lib. 1. Tract. § p. 5. cap. 8. n. 1.

Dubium nunc est, de quibus servis haec tenus tradita procedant. varia enim hominum genera hodie servorum nomine compellantur, Gonzalez ad c. fin. bie

à n. 4. ad n. 6. & Sanchez Lib. 7. de Matrim. disf. 19 n. 1.

Primo quidem abusivè, quicunque alicuius jurisdictioni vel servitio, etiam ad tempus duntaxat, ut famuli conducticii, sunt obligati: de quibus tanquam hominibus omnino liberis dicta non procedere, facile convenit inter DD.

7.

Secundo, propriè & strictè, qui vel bello publicè indicè capti servatique sunt, & capientis dominio subjecti, §. Servi 3. & 4. Instit. de Jure Person. l. Et servorum §. §. 1. ff. de Statu homin. vel ex ancilla, hoc est, servilis conditionis matre nati, §. 1. cit. & I. Partum 7. C. de R. V. vel, cum essent majores viginti annis, scientes prudentesque ad participandum pretium se venumdari passi sunt, cit. §. Servi 4. & l. 1. ff. & C. Quibus ad libert. proclam. & quidam alii apud Gonzalez in c. fin. n. 4. Cujusmodi hodie inter Christianos, et si non captivi Christiani, teste Tholos. Syntag. lib. 14. cap. 3. n. 17. ferè tamen sunt, quos Hispani & Lusitani ex Africa, America, India: Itali, Germani aliisque Europæi ex Turcia, Scythia aliisque infidelium provinciis captos habent: quos proinde omnes, nisi per Baptismi januam ingressi Ecclesiam, c. fin. de Presbyt. non baptiz. & dominorum manumissione plenam libertatem consecuti sunt, ad Ordines Ecclesiasticos admitti non posse, convenit inter omnes. Plenam, inquam; quia sacri canones ab Ordinibus illis etiam removent libertos privatorum: nisi à jugo domini plenè, hoc est, sine retentione obligationis & obsequii temporali manumissi sint, can. Quicunque 5. can. § Si quis 7. & c. fin. disf. 54. Rationem Leo Papa can. 1. disf. 54. reddit; quia Debet esse immunis ab aliis, qui divine militia est aggregandus, ut à castris Domicie, quibus nomen ejus adscribitur nullas

Y y 2 nullas

nullius necessitatibus vinculis abstrahatur, Barbosa de Officio Episc. alleg. 10. n. 54. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 8. Dixi Privatorum; quia libertus Ecclesiae; quod, eum à castris & obsequiis Divinis abstrahendum, periculum non sit, ordinari potest, quantumvis eum manumittens Ecclesia retineat jus Patronatus, Hostiens. cit. n. 5. V. Licer autem.

8. Tertiò in sensu latiori adscriptitii, hoc est, qui glebae seu fundo colendo adscripti aut personaliter obligati sunt, ut à cultura sine voluntate domini, gratis aut pretio perfolutò, eos manumittentis, recedere possessionem deserendò non possint: & Originarii, sive ex ita adscriptis nati, ll. Omnes 6. & 8. I. Originarios 11. I. Definimus 12. I. Colonus 13. Et. C. de Agricol. & censit. Panormit. in t. Mulletorum 2. de Judais n. 1. & Tholos, cit. Lib. 14. cap. 10. à n. 8. cuiusmodi hodieque multi, vulgo zibaigne dicti, reperiuntur in Germania nostra: in quibus, licet aliis absoluè homines liberi sint, locum tamen habent pleraque, quæ de servis non ordinandis constituta sunt, can. Si quis obligatus 7. can. Qui aut leges 11. can. Generalis 12. Et can. Admituntur 21. V. Ab his juncta Glossa V. Originariis dist. 54. cit. Pirrhing n. 8. & Wagnereck, recte monens, eos dominorum consensu & manumissione opus habere, ut ad Gradus etiam Academicos

admittantur: quod plurimi & Electorali nostræ Universitatis praxis docet.

Dubium secundò est, de dispensatione in irregularitate, orta ex conditione servili. Ratio dubitandi est: quod ex descendat ex ordinatione Apostolica, can. 81. cit. Hæc tamen non obstante, cum servo ad Ordines dispensari posse, res est explorata: non quidem ab Episcopo; cum huic servos ordinandi, ac prouide etiam ad Ordines dispensandi, facultas difterè adempta sit à Concilio Toledo, cuius, Caroli M. Capitular. Lib. 1. cap. 88. Et c. De servorum cit. relatò em. statutum est, ut nullus Episcoporum aliquos servos ad sacros Ordines premitre presumat, nisi prius a propriis dominis libertatem consecuti fuerint. Ratio illi: quod ex ordinatione servus, vel extrahatur à servitute dominorum, quod deviat à Justitia, quæ exigit; ne factio alieno quis dominio suo privetur, arg. Solvendo 39. ff. de Negot. ges. vel servit simul debat dominis & Ecclesiae, quid ipsum quoque Juri adversatur; cum duplice militiae nemo debat inservire, l. His quidem 5. C. Qui militare pos. Ex qua ratione ab ipso etiam summo Pontifice servilis conditionis vinculi dispensandò, licet absoluè possit, non facile & vix unquā relaxatur, teste Corrado Pr. Difens. Apof. Lib. 3. cap. 8. n. 2.

TITVLVS XIX.

De obligatis ad Ratiocinia Ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1. Ordinari nequeunt rationibus obnoxii ex administratione,

2. Conductione vestigialium & similium.
3. Ante illas redditas & has depositas.
4. Excipiuntur administratores cause.

P. 2.